

A maiores nostri excipiunt (si modo uires dissolutæ non sunt) sanguinem demes; sed tamen ubi casus vrget, neminem ex illis excipies, cui vena inueniri possit; alioqui scarificatis partibus carnosis, aut admotione hirudinum, vacuationem molieris. Est autem mittendus sanguis (vt antea diximus) quum fluxioni maximè succurrere volumus, ex parte distantissima, quæ secundum rectitudinem, siue longitudinem corporis est cum ea, quæ laborat. Sic enim manu vna laborante, in crure secunda vena est, & crure affecto in manu; propterea quod per rectum feruntur humores, ut potè qui dominantis elementi motum sequantur. Vbi verò iam succurrere laboranti lateri studemus, aperienda in cubito eiusdem lateris vena est, non semper in dextro cubito vt censem, qui venas spectant, per quas costæ ferè omnes nutriuntur. Nam longissima ea via est, breuissima autem, quæ in latere affecto, in quo quū secatur vena in cubito, educitur humor, qui in musculis circumstantibus pleuritidem continetur ob venarum communitatem, siquidem ab eodem latere illi suas venas capiunt, atque ita exhaustis venis illis remittitur tensio, & dolor lateris affecti. Atque hæc est ratio, quur Galenus iussit venam seccari, quæ directo laboranti parti respondet. Tantum verò detrahendum est sanguinis, quantum postulat vehementia affectus, & copia humoris redundantis. Nam detractio usque ad animi defectum, quum febris putrida sit, requiraturque postea robur motricis facultatis, vt per sputum violento thoracis motu conceptus in affecta parte humor regeratur, nequaquam tentanda est. Nec verò expectare oportet in omnibus sanguinis mutationem: Siquidem vbi leuior est affectus, superfluum est, & periculoso vehementissima tentare præsidia. Tempus verò detractionis nec cibis, nec cruditas aliquæ vbi admodum vrget malū, differre possunt. Estque confertim tunc demendus; alioqui nihil prohibet in mitiore malo vacuationē partiri, atq; hoc modo viribus tutius cōsulere. Quod si solus sanguis nocet nisi forte prius sit clysteri lenienda aliis, statim mittendus sanguis est. At si aliis humor cū sanguine plurimū exuperat, præsertim si in primis venis vitiū est, primo leuiter purgandū, postea sanguis detrahendus. Verū si abundat sanguis, & cū eo noxius aliquis humor, operæ pretiū est à venæ sectione vacuationē auspicari: Deinde sequenti die, aut eadē in vehementiore malo purgationem aggredi; quæ adhuc bēda est siue dolor descendat siue ascendat, propterea quod non tā lateri affecto, quæ fluxioni purgatione succurrere studemus. Nec verò metuenda est purgatio ab initio in huiusmodi malis, eo quod concoctio in humoribus nondum adsit. Nam in hoc, vt in calido omni humor, & vehementi febre semper natura turget, mobilesque sunt humores, vt facilè sequi possint; nec vitiatur concoctio, aut turbatur corpus à leuissimis, temperatisque nostris medicamentis purgantibus, quæ recentiorum industria sunt inuenta post antiquorum Græcorū secula. Quod si Hippocrates peplion, helleborum, & colocyntidem non ueritus est exhibere, nemo profectò qui plane superstitionis non sit, & parum in medicina factitanda versatus, formidabit cassum, mannam, syrum rosaceum, & alia huius generis medicamenta nostra, quibus in hoc casu utendum esse censemus. Iam uero explicatis his, quæ ad vacuationem materiæ, quæ causa est fluxionis, pertinent, sequitur, ut ad alias causas accedamus. Excitat ut diximus) fluxionē dolor quem lenire oportet ablatis illius causis. Sunt aut (ut diximus) tres in universum doloris causæ, una sensus partis, secunda facultas, quæ sensationes apprehendit, & dijudicat. **D** tertia id quod sensum, sensibileque corpus violentius molestat continuum soluendo. Quibus si quis succurrat, dolores mulcebit. Id autem faciunt, quæ stupefaciunt, minusque sensibilem partem reddunt, immoderatè refrigerando, quæque mentem distrahit ad alia negotia & ea auferunt, quæ unionem partium dirimunt iacuando, si plenitudo solutionis causa est: aut refrigerando, vel calefaciendo, si soleæ qualitates nocent, aut extrahendo quod pungit, aut vulnerat, aut alio modo dolorem in latere patit. Vocari autem debent reuera anodina, quæ stupefaciendo doloribus medentur, non autem, quæ rarefaciunt cum partium tenuitate. Nam si ea censenda sunt anodina, quæ causis efficientibus dolorem nequaquam repugnant, nemo profectò ea, quæ eo modo calida, & tenuia sunt, credet unquam uerè anodina uocanda esse; ut potè quæ non aliter dolores mulcent, quam humorem, uaporemque digerendo, qui dolorem committebant. Adde quod communis nequit esse ea anodinorum ratio, & uis omnibus doloribus. Neque enim huiusmodi medicamenta dolorem, quem pariunt vulnerantia, pungent, mitigate sunt apta: Stupefacentium verò natura huiusmodi est, ut relictis causis efficientibus, universis doloribus opitulentur. Quapropter hæc, & nō illa uerè anodina sunt, & uocari debent. Est porro in pleurite certandum omnibus generibus remediorum contrà uniuersas dolorum causas. Nā & mentem alio reuocare expedit, & sensum partis nonnunquam stupefacere ubi scilicet doloris uehementia uires demolitur, nec profuerunt alia præsidia præsertim quæ facere creduntur ad euaporationem, dissolutionemque humoris tendentis locum affectum, in quibus præcipua spes ponenda est, qualia sunt fomenta, unctiones, cataplasma, & reliqua huiusmodi, quæ partibus dolentibus adhiberi solent, quorum materiam non est nostri instituti nunc docere, ut qui capita rerum duntaxat secutamur. Erunt & causa fluxionis calor, frigus, raritasque partis, quibus occurrendum quoque est, sumendo ex omni genere remediorum, quod calefaciat, & refrigeret; quæ uero densandi uim habent, non nisi ab his, quæ extrinsecus occurunt, sumi possunt. Admittit autem latus inflammatum ad arcendas fluxiones adstringentia, sed mitiora, ne violentia humor in pulmonem exprimant; sunt

Ioan. Argent. De Consultandi Rat.

H 2 que